R. White delt. et sculpsit.
Josephus Perkins
A. B.

Ad Celeberrimam Academiam Cantabrigiensem.

Lucida, da veniam timdæ, *Matertera*, Muſæ:
* *Soli* fulgenti † *lumina* parva dedi.
Apportant vobis Muſæ *Pirenidas undas*:
Sed ſacro exundant * *Pocula* veſtra mero.
Errori ignoſcas, *Matertera* Candida, noſtro:
O *Soror Oxoniæ*, *Pieridumq;* Domus.
In Mare decurrunt per latas *flumina* terras:
Muſaq; *Pirenidas* ‖ in Mare portat *aquas*.

* *Lumen ſoli accomodare. vide Adag. apud* Eraſmum. *Eſt autem alluſio ad Inſigne* Cantabrigienſe *cui Titulus* [*hinc † lucem & Pocula ſacra*] ‖ *vide Adagium Apud* Eraſmum.

Ad Reverendum & vere venerabilem *Gulielmum Dawes*, Baronettum, &c.

FLoreſcat Doctus *Catharinæ Dacus* in Aulâ:
Aulæ Tu Decus es, Maxime *Dace*, tuæ.
Tu *Vates* & *Eques*, Tu *Presbyter* & *Generoſus*:
Et *Vates* & *Eques* non fugis ipſe *togas*.
Dace, tuum *binæ* collaudant Carmen *Athenæ*:
Et *Cyrrhæ* & *Niſæ* vertice Regna tenes.
Te reddent Muſæ *duplici* Diademate dignum:
Tu *Mitræ* & *Lauri* dignus honore frui.

Dom.

Dom. *Drydeno* Poetarum Principi.

MElpomene Tragicos Tibi dat violenta *Cothurnos*,
Maxime vir, *Senecæ* quos dedit ante *feni*.
O *Deus ingenij*, Cunctis celebrande *Theatris*!
Eloquium plaudunt *Pegmata* quæq; tuum.
Te Phæbus ſummo *Parnaſſi* colle locavit:
Sabjacet imperio *Terra* rotunda tuo.
Excelſo *Niſæ Drydenus* monte triumphat:
Illi dant *lauros* cætera Turba ſuas.
Carmina *Cimmerijs Juvenalis* operta *tenebris*,
Tu converſa facis lucidiora *die*.
Non Oculos *Perſi* latuêre poemata veſtros:
Omnia Phæbeâ luce, *Tibulle*, reples.
Virgiliumq; facis noſtro ſermone canentem:
Romanl Eloquium, Docte, *Maronis* habes.
Æmula Romani tua Lux, Venerande, *Maronis*:
Vicino nitidum *Sydus* in Orbe micas.
Et Te contextum *lauro* Diadema coronat:
Flexibiles *hederæ* tempora veſtra tegunt.
Naſo Tibi frondem teneri Preceptor Amoris
Obtulit, & lauros *Orpheus* ipſe ſuas.
O Tibi quam dulcis, quam lucidus ingenij fons!
Carmina *Drydeni* fluminis inſtar eunt.
Altius Oceano *Drydeni* volvitur Æquor:
Fonte *Caballino* clarior unda tua eſt.
* *Pegaſus Periphraſis.* *Bellua*, *Gorgoneæ* quæ ſanguine creta *Meduſæ*,
Alas Ingenio præbet amica tuo.
Cantaſti quondam *Paradiſi* perdita Regna,
Ovid. Et, quæ mortali vix referenda ſono.
Et *Phlegetontis* aquas pernix, *Erebumq;* profundum,
Et petit Aſtrigeri Culmina Muſa *Poli*.

Per

Per ſcopulos *Cyrrhæ*, per devia Pegaſus Antra
Parnaſſi volitat, ſaxaq; ſumma petit.
Omnia rimatur veloci *Pieris* Alâ,
Et loca quæ pedibus non adeunda meis.
Pythagoræ credo: redivivus floret *Homerus*:
Mæonidis mens eſt corpore clauſa tuo.
Naſoni ſimilem præbet * *Nova Troja* Poetam:
Anglia Virgilio noſtra dat una *Parem*.

* *London.*

Encomium *Heroinæ* Nobiliſſimæ ac venuſtiſſimæ Galateæ.

FOrmoſæ effigiem *Veneris* ductus *Appelles*
Nympharum celebrem convocat ille gregem.
(Qualem famoſos *Catharinæ* nuper in *hortos*
Orpheæ allexit Muſica grata lyræ.
Aut qualem ad latices ſpectavi *Tunbrigienſes*,
Illum dum peteret *Regia Nympha* locum)
Illius obſervat miſtum Candore *ruborem*:
Hujus & in roſeis Gratia quanta genis:
Illius in vultu geminum, *ceu* lumina, Sydus:
Hujus Pictori grata labella placent.
Spectantur fluxi per eburnea Colla *Capilli*,
Atq; *ſupercilij* forma Colorq; boni.
Hujus & Artificem *frontis* ſpecioſa figura,
Illius & *Naſi* bella figura juvat.
Colligit egregiam de tot modo *partibus* umbram.
Ut reddat Venerem picta Tabella deam.
Non opus eſt, Pictor, varias *tot* cernere *Formas*:
Unica præ cunctis eſt *Galatea* Venus.
Continet ecce *Tabella brevis* Terramq; Fretumq;
Anguſtoq; vides plurima *regna* loco.
Unica fæminei Tabula eſt *Raneleia* Decoris:
Illius effigies Unica picta, *Venus*.

Raneleia. Mutato nomine de te Fabula narratur.

De

De Contemptu Literarum.

In faciendum laureum in Platea Sti *Jacobi* ejectum, & prætereuntium pedibus calcatum.

Ex tempore

* *Prince George*

*PRincipis ante Domum dum forte perambulo vicum,
Hæserat in turi *laurea multa* luto.
Calcatur pedibus Phæbo gratissima *Daphne*:
Pressaq; sunt volucri frondea serta Rotâ.
Spectat humi *lauros* Neglecta *Thalia* jacentes,
Dixit et, Hæc sortis sunt simulchra meæ.
Temnimur heu *Nymphæ Parnassi* monte creatæ;
Conculcant nostros barbara turba modos.
Errat per *Cyrrhæ* scopulos *pannusia Clio*:
Melpomones humeros *Purpura* nulla tegit.

Juvenal. Spreta jacet *virtus*: "Nulla Emolumenta laborum:
Jugentes *vitijs* accumulantur opes.

Ovid. "Esse Deos credamne?

* *Quis enim virtutem amplectitur ipsam Præmia si tollas?* *Juvenal.*

Sum Perkinsus Ego * *nudæ* virtutis Amator;
Illa mihi, quamvis *orba decore*, placet.

J. Perkins.

FINIS.